



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eiusdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpurga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

LVIII. Ioannes Conradus à Gemingen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

& humanis & diuinis literis excellenter excultus, in praefatione ad Casparum à Seckendorff, praefixa orationi funebri in obitum Martini Principis, laudat Casparum à cultu D. Virginis. *Primum, inquit, verumq; semen boni Principis & Episcopi in vobis fuit D. Virginem amasse, coluisse, & intra annum, mille supra aureos in eius cultum posuisse, sic ut ausim illustrissimum appellare D. Virginis filium, &c. Deinde lacryma illa, quibus post Episcopatum oblatum, aliquot dies non ponebant modum, mihi videntur & filiae boni animi, & ingentis spei, tanquam menses, pia matres: nam quemadmodum Episcopatum, tanquam consulatū pressare, infinita semper fuit ambitionis, & mali plerunque exitus: sic in Episcopatus curam subire, publica non privata rei ergo, est animi grauidi charitate, qua parit exemplum, famam, Zelum, tandem caelum, nisi forte à Dei contemptu & neglectu pessimis obstetricibus excepta, exeat in abortum, Ecclesia heu infaustum semper abortum. Obiit Casparus supremum diem XXVIII. Aprilis anno Redemptoris M. D. XCV. eo ipso die, quo Eystettensis populus participem se faciebat Iubilaei seu plenariae Indulgentiae quam Casparus à summo Pontifice impetrauerat.*

LVIII. Ioannes Conradus.

Ex vetusta familia Nobilium à Gemmingen, successit Casparo, cui iam antea Coadiutor datus fuerat. Laudes huius Principis continetur in eius Epitaphio velut in quadam Epitome, & est tale.

Ioannes Conradus à Gemmingen, Episcopus Aichstadianus, summa religionis, iustitiae, prudentiae gloria, sacro instrumento, in

ZZ

quo

quo hierotheca gemmis insignis eminet, splendide aucto & exornato, grande ere alieno per superiorum temporum difficultates contracto, dissoluto, ditione prolata, Arcis Willibaldinae edificio magna impensa inchoato, auro longa parsimonia collecto, in erarium illato, optime de Ecclesia & tota diocesi meritis, vixit annis L I. sedit XIX. obiit anno Christi M. DC. XII. VII. Idus Nouembris. Ioannes Christophorus à Westerstetten Episcopus Aichstadianus Decessoris memorie grato animo P.

Erat Ioannes Conradus non tantum in grauioribus, sed etiam in politioribus disciplinis apprimè versatus: neque latinæ tantum, sed & Italicae & Gallicae linguae peritus. Optimus Oeconomus, ut in Epitaphio rectè predicatur: qui exemplo suo docuit quantum vestigal sit parsimonia, & attentio ad rem, tamen si parsimonia hæc non erat cymini sectrix, nam quando & ubi opus erat, liberalitatis suae fontes largiter aperiebat, & quotidianus victus procul ab omni tenacitatis sorde aberat. Quis autem nescit, inter ceteras dotes, quas Apostolus Paulus 1. Tim. 3. in Episcopo desiderat, esse eundem Oeconomiam, seu rectam familiæ, & rerum, quæ ad familiam spectant, administrationem? hanc enim indicauit, cum postulat Episcopum, qui suae domui bene prepositus sit, & hoc ideo, quia qui domui suae praesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam

tiam habebit? Ordinariè enim, qui rem familiarem negligunt, omnesque proventus inaniter effundunt & dilapidant, res quoque Ecclesiasticas in postremis ducunt. A quo vitio longissimè seiunctum fuisse Ioannem Conradum, testantur tot aurea & argentea vasa, tot pretiosissima & splendidissima vestimenta, aliaque utensilia, quibus Ecclesiam, præsertim Sacellum Aulicum, exornauit.

Deinde his maximè temporibus necesse est, ut Episcopi ad Oeconomiam diligenter attendant; cum enim non tantum habeant oues, ut pastores; sed etiam temporali iurisdictione adstrictos subditos, ut sacri Romani Imperij Principes; omnino curare debent, ut possint, si quæ violentia ingruat, eam vel soli, vel ab aliis amicè adiuti, propulsare, & quod vulgo teritur, vim vi repellere. Quem ad finem quid pecunia in promptu conferat, notius est, quàm ut longa oratione egeat. Circumfremunt vndique lupi hæretici, insidiantur non tantum animabus, sed & Episcoporum ditionibus; quarum licet complures iam in Germania deuorauerint, necdum tamen satiati sunt; habent enim naturam ignis, qui nunquam dicit: SUFFICIT, ut Salomon in Prouerbiis ait; oportet igitur, ut paratum sit subsidium, quo lupi faucibus siccis hiantes arceri queant, si qua vi repagula perumpere, & in Episcopales possessiones irrumperere tentet. Quod sapienter Ioannes Conradus animaduertit. Neruo tamen belli conficiendo ita operam dabat, ut nemini grauis esset, nec in suæ exactiõibus subditos vexaret & exhauriret, sed redditus annuos ea prudentia colligebat, impendebat, & expendebat, ut quid nouendecim annorum spatio facturus fuisset, si amplior & opulentior.

Episcopatus obtigisset, omnes intelligant. Nec plura, de hoc Illustrissimo Præsule, quia, ut initio dixi, omnia eius Encomia Epitaphio breuiter veluti compendio illigata sunt.

LIX. Ioannes Christophorus.

Joanni Conrado successit Ioannes Christophorus ex nobili & veteri stirpe à Westerstetten, IV. Decembris anno M.DC. XII. olim Ecclesiæ cathedralis Eystettenensis Decanus; ex Decano Præpositus & Dominus Elvvacensis; quem principatum aliquot annos sapienter, iustè, & summa cum æquitatis laude administravit, ut rectè factorum præmiator munificus, ita malefactorum vindex & ultor seuerus, præsertim veneficij; quam luem, latius præsertim per sexum femineum, manantem; ut cohiberet, nihil intentatum reliquit. Euectus postea ad cathedram Willibaldinam, Elvvacensi præpositura sese abdicavit, & ad S. Willibaldi mortem commigravit; in quo, tanquam in viuo exemplari intueri licet notas illas, quas in Episcopo desiderat S. Paulus, cum ait; Episcopum debere esse irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sua domui bene præpositum. Episcopus ex ipso nomine, inquit Isidorus Pelusiota, quid ipsius muneris atq; officij sit, per spectum habere debet. Eum enim inuisibilem & occultarum ferarum impetus, Ecclesiæ ignauias, Monachorum negligentias, iniquorum hominum improbitates, viduarum calamitates, pupillarum egestates, altaris suspiciones, Diaconorum morbos, iuuenum flagitia, senum mala consilia speculari oportet, atq; omni ex parte oculum esse, omnia prospicientem, nec quidquam

Isid. lib. I. epist.
149.